

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 93. (Neovidensis 1808. Nro. 92.)

Oratio Politica.

De Statu militari.

Elysium-Meum.-Die Martis. 29. Nov. 1808. (Neov. 18. Nov. 1808)

S e n t e n t i a.

Primus qui fuerat vasta regione potitus
Marte favente jugum, viribus imposuit.

Voltaire.

Inter omnes status militaris difficultate,
periculisque præstat. Inedia, sitis, æstus, frigus
& fatigia omnis generis in stadio ei occurrunt,
tum stricta disciplina, implacabilis rigor, ita dicta
subordinatio, ferream vitam eum faciunt. Verum
ex altera parte, quantus splendor, quanta ad altiores
dignitates spes, quanta honorum consequendorum
Janna! primus is status in republica, & quilibet
Civium ei tranquillam bonorum fruitionem, securitatem
& quidquid habet, in acceptis refert. Quivis Civis
operam impendit, sudat & laborat in sui gratiam,
verum miles pro omnibus, pro communi patriæ salute,
pro securitate personarum, bonorum, honoris,
pro legibus, quapropter militi primus honor debetur,
& Voltaire canit:

Primus qui literat vasta hac regione potitus,
Marte favente jugum, viribus imposuit.

At cur bellum? clamat civis, qui militem hospitio excipiendum habet, ad quid tanus miles? Miserum! an bellum humanæ societati non in alteram naturam abiit? an non continuo, ex quo historiam hominum scimus, bella & iterum bella gesta? vix aliquot, homines in mundo fuere, jam Cainus & Abel invicem dimicavere, an non in quavis domestica societate, non in quavis ferme Culina dum & quando, fortassis nimis sæpe bellum, dum paterfamilias sæpe fuste pacem facere debet; — bella erant, ex quo mundus stabat, eoque quamdiu steterit.

Vetustis temporibus utique non dabantur milites; at quid, amabo, erant belligerantes? servientes, servi Castrorum, exercitantes &c. non erant mercenarii seu milites, stipendiarii, quod stipendium non perciperent; at quam opere in hostili & amicali territorio grassari debuere, cum stipendia non obtinuerint, & tamen vitam alendam habuerint?

Systema feudale, cui potissimum politicam Europæ occidentalis mutationem debemus, bellicum systema veustis temporibus egregium organisavit; temporibus cultis, ait historia mundi, quibus herus & servus æque feri homines sunt omnino feudalis constitutio validus vectis ad perceptionem plebis evadere potest. Domitor subjugatum territorium inter belliduces dividit, & per id provinciæ administrationem simpliciorem efficit. Va-

salli homagium ei præstant, & belli occasione servos suos adducunt, quo factum ut bellica & æraria res facili opere ordinetur.

Successu temporum, invento nitrato pulvere plures mortem adferentes machinæ in militari inventiendæ erant, hominesque earum tractationi admovendi. Cum vero bellandi non esset finis, successive stabiles erant exercitus. Gustavus Adolphus, Victor Amadæus, Ludovicus XIV. stabiles exercitus pacis tempore retinere. Idem faciendum erat aliis Imperantibus, ne supprimantur. Jam Calamitas coepit, quibus plures alii milites tenere voluit; quibus auxit stabilem suam militiam, at hac auctione redditus quoque publici, præstationes intendi oportuit; en nova pro subditis calamitas! postea ad petendum mutuum confugiebatur, sic publica onera contracta, Status minus potens potentiori intuitu copiarum æqualis esse adlaborabat, aut adhuc superior, sententiæque Voltairii tandem impleta.

Fridericus ille magnus Systematis Descriptionis auctor erat, quo quisquis neo natus Marti sacer erat, alii status securitatis suæ ergo imitati. Post Gallica orta revolutio, quibus Gallus absque discrimine merebatur, partim in exercitu, partim nationati militis.

Gallica hæc ordinatio tantum effectum protulit, ut exercitissimæ copiæ a nova & inexercitata turba profligarentur. Nova lux per id Statibus affulsit, ubi vis nationales tur-

ma sub alio nomine oriuntur; sique hodie bellum erumpat, natio nationi opponetur, cujus rei jam exemplum habetur; quo fiet: ut Status statui æqualis reddatur, tota nempe Europa arma induat.

Sine dubio contendunt Clarissimi Statistæ: perfectionem Status exigere certam proportionem armatæ multitudinis ad numerum Incolarum per quem ea alimentum consequitur, an vero imperans millionem subditorum numerans non majorem 10 millibus exercitum tenere possit, absque sui excidio, ut nonnulli experientia probare volunt, stabilem proin certumque 200,000 exercitum, Incolarum minimum 20,000,000, computatis plane infantibus deponere, hoc equidem decidere non audeo.

Verum ad quid tantus meditationum apparatus? In continente nostro nullum geritur bellum, nec metuitur; Angliæ Erfurto pacis propositiones factæ, Napoleon in Conventu Collegii leg. fer. ipse mentem declaravit suam, se earum occasione renunciationes fecissq; omnia hæc certam spem præbent, si Anglia aliquot emolumentis in Hispania fidens, cedere, a grayibusque conditionibus desistere vellet.

Quid vero, ponamus, si Hispania & Portugallia occupata, perque copias gallicas seditiosa vertigo dispulsa fuerit, ut Anglia non mitesceret? — meminimus bello Americano similis casus, dum Anglia in Continente auxiliari & foederato carebat, exitusque erat ja-

Æura Americae, hodie in continente non modo nullos amicos, sed hostes, nec neutralitatem tunc armatam censet.

In continente nullum metuendum bellum oratio D. Fontanes in Collegio legislativo argumentum præbet, ex qua excerptum tantum argumenti statum internum Galliae respicientis legemus „Fœderati Galliae, & incorporatorum statuum, æque ac illa propria immolant emolumenta. Angliæ articulo illi accedebat, quo exclusio ejus a continente perfecta fuisset, at in rem suam vertebat novissimos eventus, ad malum genium in Hispaniam traducendum, atque infelici hac regione quosvis furentes affectus excitandos, fœderatos in ipsis Inquisitionis ministris censet & barbaris præjudiciis. Infelix popule! cui sortem tuam credidisti? contemptori morum tuorum, sacrorum tuorum hosti, ei, qui datæ fidei immemor in tuo territorio temeritatis suæ monumentum erexit, injuriam & calumniam, quæ a se qui altero seculo nulla strenuitate tuam refelleret, si sola regiminis tui imbecillitas culpam non haberet, fœdus inis cum Angliis, qui toties gloriam & independentiam tuam violaverunt; qui ex tanto tempore apertis violentiis ipsa sub pace commercium tuarum Coloniarum attrahere, qui ut Jussu neutralitatis servandæ tibi promissent, Decretis suis expilationem tuarum opum, trucidationem nautarum tuorum præmisere, qui denique Europam contemptu suo, & fœderatos suos & dolosis pollicitationibus reple-

vere. Indubie resipisces! at tuum novis perfidiae argumentis tibi attributis ingemiscas! quantum vero sanguinis, & lachrimarum, usque ad saniora redieris, fluet & fundetur. Angli hactenus amplas pugnas declinantes denuo quaeritant fortunam in continente. Denudant copiis Insulam suam, Siciliam propemodum indefensam relinquunt, obversam strenuo & alacri regi, qui exercitui gallico praest. qui ipso hoc tempore Capream iis eripuit. Quis demum eventus intensarum ab iis virium futurus? an spe duci possunt, Gallos Hispanis & Portugallia prohibendi? an eventus anceps esse potest, cum Imperator, ipse Mars alter, invictas legiones moderatur? quam felix augurium non deprehenditur in heroico Portugallico exercitu, qui adversus duplo fortio-rem hostem pugnas, eodem loco; quo tanta cum jactura manus conseruit, trophaea sibi erigere, & conditiones gloriosi redditus stipulari noverat! Inter adparatus novae pugnae adversus nostrum unicum hostem sapientia Imperatoris, quae necessaria erant, omnia egit. Indubie paci in continente custodiendae fidere potest, cum Austria, unicus status, qui pacem deinceps turbando esset, revocando legatum suum Londino, omnium politicarum communicationum abruptione cum Anglia manifestum argumentum dederit suae erga nos cogitandi rationis. Interim Austria denuo adparatus fecit; absque dubio non hostili acta consilio, prudentia nihilominus exegit efficacissimas providendi rationes inire.

Copiæ in Germania & Italia augentur delectu novitus conscriptorum. Rhenani fœderis completæ sunt, bene organisatæ & institutæ. Centum mille magni exercitus ditionibus Borussicis excedunt, ad castra in Boloniam, interea Dania expræsentanti adversus quemcunque impetum Anglicanum tuta, a nostris copiis deserta, quæ se concentrant. Ante finem Jani agmina in Hispaniam traducta, ad ripam Albis & Rheni supplebuntur; quæ anno superiore Italia excessere, priores stationes repetunt, hæc mei Domini! externa Galliarum adjuncta."

Neapoli 25. Oct. Gen. Dux Lamarque qui expeditionem adversus Capræam moderatus, prout & Gen. Duces Detre & Monferras, & Adjutor Commendans Chavardes, qui eidem expeditioni intererant, a rege benevolentissime excepti sunt. Jam jam consecraria utilia occupatæ Insulæ percipiuntur. Circa 50 Liburnicæ naves aliæque minores ex eo tempore Gaeta & ex aliis portibus adpulerunt, & ex Calabria dives navium mercatoriarum Collectio, prima ex triennio advenit. Naves, quæ inde adpulere, plerumque ob periculum in vicini Caprææ aquis in manus hostium incidendi merces suas Vietris & Salerni exonerarunt. Heri adhuc naves Marsilia & alius Romani territorii partibus adpulerunt.

In hac Typographia prostant venales:

- Principia Politicae, Commercii & rei Aerariae.
E germanicis lucubracionibus clarissimi vi-
ri Josephi Sonnenfels Latine reddita eWol-
gango Beke, in Reg. Magno - Varadinensi
Academia scientiarum Politico - Camerali-
um Juris cambialis ac mercatorii Profes-
re P. O. T. 1. & II. 8. 1808. 4. fl.
- Högyészi, Doctrina Religionis, R. Catholicae,
Pars I. de septem novae Legis Sacramentis,
de Purgatorio, & Indulgentiis. 1805. 8. 64
xr. Pars II. de Virtutibus Theolog. Fide,
Spe, & Charitate, Religione Revelata,
ac aliis Fidei orthodoxae dogmatibus.
1806. 8. 1 fl.
- Ars longaevae, hilarisque vitae 1805. 8. 1 fl.
- Fedor, és Mária, vagy a' hóltig-tartó ritka
hűség, és a' nagyra vágyásból szárma-
zott gyászos, de méltó szerentséltenség'
tüköre. N. V. Ajtay Samuel által. 1807.
8. 1 fl. 12 xr.
- P. Basilii Alexovics Sermones Sacri, festiva-
les & Dominicales, V. Tomi 8. maj. 8 fl.
quavis Tomus separatim a 2 fl.
- Hertzeg Piripionak tündér története irta Wie-
land után Magyar Földjeinek mulattatásá-
ra Fellegváry Agoston. 8. 1804. 36 xr.
- Wieland, Téli Regi. 3. Posonyban, 1804 20 xr.
- Theophron, vagy a' tapasztalt Tanácsadó a'
tapasztalatlan Ifjúság hasznára. 1804. in 8.
1 fl. 45 xr. Posta papirosra 3. fl. Fényes
papirosra 6 fl. 40 kr.